

IOANNES  
PAVLVS  
PP-II

*Servus Servorum Dei  
ad perpetuam rei memoriam.*

*Quae mihi erant lucra, haec arbitratus sum propter Christum detrimentum. Verumtamen existimo omnia detrimentum propter eminentiam scientiae Christi Iesu Domini mei ~ Philp 3, 7-8. Per diligentem veritatis ipsius altamque inquisitionem Beata Tere-sia Benedicta a Cruce Edith*

Stein, ad Christi Jesu opitulante gratia  
pervenit cognitionem. Quo ex tempore  
nullum ei superfuit, perinde ac sancto  
Paulo quoque, præstantius bonum  
quam Jesu, viae veritatis vitaeque, in-  
tellectus supernus. Parentibus orta a Ju-  
daeis Vratislaviae Beata haec die XII  
mensis Octobris anno MDCCCXCI in Pa-  
trum et maiorum suorum adolevit reli-  
gione. At dum disciplinas apud Vrati-  
slaviensem Universitatem persequeretur,  
magnum pertulit animi discrimen eva-  
sitque revera in Dei negationem. Studiis  
ardenter sese devovebat ac valde quidem  
laudabiliter unde in Universitate Fribur-  
gi Brisgavorum est anno MCMXVI philoso-  
phiae laurum adeptus ac magistri sui ef-  
fectus Edmundi Husserl adiutrix. Perse-  
verans veritatis investigatio nec non fidei  
ipsius testificatio illius in amicis christia-  
nis ferventioribus, tum ad extremum vitae

narrationis perlectio sanctae Teresiae a  
Iesu, eam ad Christi deduxerunt familia-  
ritatem qui Magister deinceps eius est  
factus et amor totus omneque vitae pro-  
positum. Accuratam profundamque ex-  
secuta praeparationem in Ecclesia Carho-  
lica Kalendis Januariis anno MCMXXII  
baptisma percepit suamque continuo ob-  
fidelitatem erga Christum eiusque Eccle-  
siam effulsit. Se ad Carmelum deinde quam-  
quam vocari sentiebat non statim suum  
explere poterat ad consecratam vitam an-  
helitum. Undecim ideo annos docendi in-  
munus Spirae incubuit posteaque Mo-  
nasterii ubi institutionem suam in philo-  
sophia ac disciplinis locupletavit ac potis-  
simum in Sancti Thomae Aquinatis doc-  
trina. Suam in Christum luculenter testaba-  
tur ubique fidem, quem in mysteriis praeser-  
tim Incarnationis contemplantatur et Pas-  
sionis; quam fidem sedula incendebat pre-

catione. Evangelii institutis mores eius integri movebantur atque intenta spiritualis vitae cura confirmabantur. XLII annos nata Coloniae pridie Idus Octobris anno M-CMXXXIII inter Carmelitides numerata est Excalceatas nomine Teresiae Benedictae a Cruce sibi indito. Sollemnia vota anno M-CMXXXVIII nuncupavit velumque est induta. Ordinis sui deinceps Regulam magno adservavit et constanti animo suamque implens consecrationem ulterius usque in sanctitatis progressa est via. Antistitae vero illi concesserunt se ut scientiarum diutius studiis dicaret, quae ministerium Deo factum ipsa esse censebat tum etiam coniunctionis cum Deo instrumenta. Interea Hebraei manifestius usque in Germania crudeliusque vexabantur unde Ordinis illam praefecti in coenobium Echtense amandaverunt in Neerlandiam. Sibi cum periculorum probe conscia esset imminen-

tium, se Dei voluntati totam subdens illum  
vitae exitum accepturam scripsit qui divi-  
nitus sibi contigisset. Opus in Echtensi coe-  
nobio de sancto Joanne a Cruce cui titu-  
lus ~ Scientia Crucis ~ contexuit. Altero  
autem mensis Augusti die anno MCMLII  
una cum Rosa sorore est a Nationali-  
bus Socialistis comprehensa qui episcopos  
catholicos Neerlandicos ulciscentes, a qui-  
bus pastorales litterae scriptae essent  
diffusaeque adversus Judaeorum rele-  
gationes, unde etiam accidit ut vexatio  
etiam in catholicae fidei Judaeos pro-  
pagaretur. In castra delata est occisionis  
infamia Auschwitz Birkenau appel-  
lata. Serena omnino mente Patrisque  
caelestis consilio dedita suam conscendit  
Calvariam, quandoquidem ignis fuerat  
ei semper Christi amor quo ita tota illi-  
us ardebat vita ut cum sancto Paulo ef-  
fari valeret: ~ Mihi autem absit gloria-

ri nisi in Cruce Domini nostri Jesu Christi  
Gal 6, 14. Saevientibus iisdem vero insecta-  
tionibus, haec Israelis filia fide sua cari-  
tateque cum Domino crucifixo uti catho-  
lica perpetuo coniungebatur, suo autem  
cum populo item semper consociabatur  
uti Judaea. Subsequenti dein Augusti  
mensis IX die coniunctim cum sorore et  
ipsa catholica plurimisque sua ex gente  
aliis hominibus letifero extincta est vapo-  
re. Mulieris, quae sua in vita fidem  
conciliaverat cum animi cultura, speci-  
men elucet praecclarum Teresia Benedicta  
a Cruce, quae odio in Judaeos obnoxia  
fuit tum etiam in Ecclesiam. Numqu-  
am illius evanuit recordatio, quin immo  
sanctimoniae ac martyrii post obitum  
percrebuit claritas. Hisce de causis Coloni-  
ensis Archiepiscopus anno MCMLXII ca-  
nonizationis imposuit processum iisque u-  
niversis rite peractis quae vigentes de sanc-

torum causis praefiniebant leges, decretum Januarii mensis XXVI die a. MCMLX-XXVII de virtutibus heroicis ipsoque huius Servae Dei martyrio protulimus. Sollemnia postmodum beatificationis eiusdem anni Kalendis Maiis peregrinamus cum pastoralement Coloniam exsequeremur salutationem. Divina vero dedit ipsa exinde providentia in hac beata novum sanctimoniae indicium prodigiosa propter ipsius deprecationem intercedente sanctione. Quem casum Congregatio de Causis Sanctorum rite perpendit unde factum quoque est ut Nostro in conspectu Decretum die VIII mensis Aprilis anno MCMXCVII super miraculo ederetur. Exauditis deinde Patrum Cardinalium Episcoporumque congregatorum faventibus sententiis, in Concistorio die XXII mensis Maii eodem anno celebrato ritus canonizationis decrevimus ut Romae XI die men-

sis Octobris MCMXCVIII perficeretur: hodie  
nempe faustissimo sane die, ubi summa  
cum animi Nostri et totius populi Dei lae-  
titia in foro quod est ante basilicam sanc-  
ti Petri in Vaticano, quo plurimi soda-  
les utriusque sexus ex amplissima Carme-  
litana familia concucurrerant adstabant-  
que complures Cardinales et Episcopi sa-  
cerdotes et familiarum religiosarum con-  
sortes nec non christifideles, obsecrati sumus  
ut Teresiae Benedictae a Cruce Edith Stein  
sanctarum caelitum adscriberemus ho-  
nores. Auxilio omnium sanctorum rite  
implorato precibusque Divino Spiritui  
adhibitis virtute ipsa supremi magisterii  
quo fungimur has inter sacra pronuntia-  
vimus gravissimas voces: ~ Ad hono-  
rem Sanctae et Individuae Trini-  
tatis, ad exaltationem fidei catho-  
licae et vitae christianae incre-  
mentum, auctoritate Domini nos-

tri Jesu Christi, beatorum & Aposto-  
lorum Petri et Pauli ac & Nostra,  
matura deliberatione praehabita  
et divina ope saepius implorata,  
ac de plurimorum Fratrum & Nos-  
trorum consilio, Beatam Teresi-  
am Benedictam a Cruce Edith  
Stein Sanctam esse decernimus  
et definimus, ac Sanctorum Ca-  
talogo adscribimus, statuente  
eam in universa Ecclesia inter  
Sanctos pia devotione recolere de-  
bere. In nomine Patris et Filii et  
Spiritus Sancti - Quibus singulis  
elate praedictis, gratias pariter egimus  
Nos omnipotenti Deo una cum innume-  
ris sollemniis participibus atque de no-  
vensili hac sancta eiusque virtutibus sin-  
gularibus et operibus habuimus sermonem  
deindeque caeleste illius primi & Nos expeti-  
vimus patrocinium iamque promptiore a-

nimo augustioreque ritu divinum sacrifici-  
um ad eius similiter honorem facere perexi-  
mus. Haec ideoque omnia ut diligentissime  
animadvertantur praecipimus et congruae  
de iis conficiantur ac expediantur decretales  
hae litterae. Datum Romae, apud Sanctum  
Petrum, die undecimo mensis Octobris, anno  
Domini millesimo nongentesimo nonagesimo  
octavo, Pontificatus Nostri vicesimo.



Ego Joannes Paulus  
Catholicae Ecclesiae Episcopus

Eugenius Seri, Prot. Apost.